



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 50. Rufeinonensis, & Cerdanensis Comitatus Ludovico XI. a Navarræ
Rege in pignus dati

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

§. L.

Ruscinonensis, & Cerdanensis Comitatus Ludovico XI. a Navarræ Rege in pignus dati.

*Mariana
Hist. Hispan.
l. 23. cap. 10.*

Cum Navarræ Regina Caroli Viannæ Principis Noverca eundem venenari jussisset, adeo iniquam illius mortem Catalani toto studio ulcisci statuerunt; atque ideo in ipsum Regem, ejusque conjugem tam periculosam seditio- nem conflagrunt, ut Rex adversus subditos suos Ludovici Francorum Regis o- pem implorare compelleretur. Verum ab eo nihil impetrare poterat, nisi pro trecentis aureorum millibus Ceretianam sive Cerdanam in Pyrenæis, & Ruscino- nem unacum Perpignano, pignoris loco, in Franciæ Regis potestatem traderet. Hæc pacta Salvaterræ inita fuere, ubi utriusque Regis Oratores convenerant, ac mutua sibi auxilia contra quoscunque hostes pollicebantur; Ludovicus tamen Castellæ ac Scotiæ Reges, necnon Renatum Andegavensem Siciliæ Regem excipi voluit. Navarrus autem Lusitaniæ Regem, Ferdinandum Arragonium Regem Siciliæ, necnon Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem exclusit. Hac pactione utrinque firmata, auxilia- ris exercitus imperium Jacobo Arme- niaco

niaco Nemosii Duci concreditum est. Sæcul. XV.
 Catalani econtra sese Castellæ Regi ad- A.C. 1462.
 junxerunt. Tandem ergo bellum para-
 tur, quod duos ferme annos tenuit; cum
 vero neutra pars prælii discrimen expe-
 riri auderet, causæ decisio Francorum
 Regis arbitrio relinquebatur. Hic igitur
 dissidentes componendi studio incitatus, *Vide §.*
 Bajonnam contendit. De ejus vero sen- *LXXX.*
 tentia in progressu historiæ mentionem
 faciemus.

§. LI.

*Ludovici XI. Oratores ad Papam
 ablegati.*

Interea Ludovicus Rex, ut epistolæ, Anno 1462.
 quam ad eum Papa perscripserat, re-
 sponderet, solemnem Legationem Ro-
 mam decernere statuit. Id muneris *Gobelin.*
 committebatur Viris tam generis nobili- *Comm. Pii II*
 tate, quam meritorum præstantia cele- *l. 7.*
 berrimis. Erat Legationis Princeps Pe-
 trus Calvimontis Comes, Vir ætate ve-
 nerabilis, ac morum integritate summe
 commendandus. Sequebantur Cardina-
 lis Atrebatensis, qui dexteritate sua in
 Regis gratiam rediit, necnon Andega-
 venfis, & Santonensis Episcopi, præter
 quosdam Abbates, & Procerum nobilis-
 simos. Hi tertia die Maji anno millesi-
 mo quadringentesimo sexagesimo secun-
 do